



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. lxxv.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

solam inter Christianos abominabilis est, sed etiam inter ethnicos, & ab exteris lege prohibita. Et idcirco huius criminis reos, non solum Ecclesiastica, sed etiam seculi damnant leges: & non solum conspirantes, sed & consentientes eis. Antecessores vero nostri quam plurima turba episcoporum, quicumque eorum in sacerdotali ordine sunt constituti aut existunt clerici, honore quo utuntur carere preceperunt: ceteros vero communionem priuari, & ab Ecclesia extorres fieri iusserunt, & non solum facientes, sed eis consentientes.

De eadem re. Cap. LXV.

Quisquis per dolum mittit manum suam in Christum domini, episcopum videlicet, patrem & pastorem suum: quia sacrilegium committit, & qui Ecclesiam Dei deuastat, & incendit: quia & hoc sacrilegium est, placuit sanctae synodo ut in vno loco, id est, in monasterio poeniteat omnibus diebus vitae suae.

Ex concil.
Tungræ.
cap. 5.

De clericis maledictis. Cap. LXVI.

Clericus maledictus, maxime a sacerdotibus cogatur ad postulandam veniam. Si noluerit, degradetur, nec unquam ad officium, absque satisfactione reuocetur.

Ex concil.
Carthæ.
cap. 57.

De illis qui detraxerunt suis prioribus. Cap. LXVII.

Si quis detraxerit qui ei praest, VII. dies a conuentu Ecclesiae se paratus, ut Maria soror Aaron quae detraxit Moysi, poeniteat.

Ex dictis
Basili
episcopi.

De clericis vel monachis coniurantibus vel conspirantibus contra episcopum suum. Cap. LXIX.

Si qui ergo clerici vel monachi reperti fuerint coniurantes aut conspirantes, aut insidias ponentes episcopis, aut clericis, gradu proprio poenitus abiciantur.

Ex concil.
Chalced.
cap. 19.

De eadem re. Cap. LXVIII.

Itaque si clerici aut monachi inuenti fuerint coniurati, aut perconiurationem calumniam machinantes episcopis vel clericis, proprium amittant gradum.

FINIS Libri decimi.